


huic chartæ hic præfixum emendandum juxta lectio-  
nem in serie documentorum usurpatam.

MCCCXI. col. 277. n. 274. Hujus diplomatis exem-  
plum, quod edidi, desumsi ex apographo membrana-  
ceo Guidonis II. Reperi tamen in Tabulario Capituli  
archetypum in ampla ac optime descripta membrana,  
quod usquequaque lacerum, ac mucositate corruptum  
vix aliquam partem legendam offerebat. Hæc tamen  
ex eo emendatione digna cognovi. lin. 20. confide-  
rantes legitur consideramus. lin. 22. junguntur l. con-  
junguntur. lin. 26. cognoscantur l. cognoscant. lin. 34.  
nostri l. nostris. lin. 44. Henricus l. Heinrichus.

Adde hoc in fine diplomatis appositum monogramma.



MCCCXIV. col. 277. n. 275. Contuli nuper hoc  
documentum cum membrana Capituli vetustissima, ex  
qua, præter paucas correctiones, multa suppleri pos-  
sent, quæ hic contracte, servatis tamen autographi  
verbis exhibentur: at cum inanes, ac prolixas conti-  
neant clausulas, quæ nullius usui forent, atque res,  
de qua agitur haud magni momenti sit, ideirco eas  
prætermittere satius duxi paucis correctionibus conten-  
tus, quæ sic se habent. col. 277. lin. 60. Franceschina,  
Stancona. Deleto commate lege Franceschina Stancona.

Col. 278. lin. 23. inprimis . . . vel leg. supra  
terra heredis vel. lin. 30. Jacobus l. Jacobi. lin. 41.  
S. Martini l. S. Martini de Peceto.

MCCCXX. n. 277. col. 280. lin. 10. Lutofa, equi  
corrigere lutofa, idcirco equi. lin. 19. Ex. l. Excel-  
lentia.

MCCCXXV. col. 283. n. 281. In Tabulario Capi-  
tuli reperta est membrana, ex qua hæc particula ex-  
tracta fuerat: sic autem ejus initium habet.

Anno Domini MCCCLXXI., indictione IX., die  
II. septembris in civitate Aquis S. in palatio  
communis etc. Nobilis vir D. Johannes Cavazonus  
de Ast Potestas Civitatis prædictæ Aquis sedens in  
palacio communis etc. præcepit mihi Gulielmo de  
Belleratis de Aquis Notario publico. &c. ut in pu-  
blicam formam redigerem ad perpetuam rei me-  
moriæ, & vim, & robur obtinerent publici in-  
strumenti principia registorum, & certas particulas  
ipsorum, videlicet registorum Jacobi Rubatelli,  
Ogerii Cauderarii, & Anthonii Cauderarii filii q.  
Cunradini Cauderarii, filii q. dicti Ogerii, & hoc  
ad instantiam, & requisitionem Bonifacini Bellexii  
de Aquis Canonici Ecclesiæ Aquensis, & in eadem  
pro capitulo residentis, nullis aliis Canonicis in  
Ecclesia prædicta ad præsens residentiam facienti-  
bus etc. Sequitur deinde subscriptio Gulielmi Belle-

ratis, prout legere est docum. n. 281. Ego Guliel-  
mus &c.

Linea tamen 44. post anni notas adde: die XXIII.  
mensis madii.

MCCCXL. col. 290. n. 286. lin. 62. adde ex alio  
exemplari: Fidejusserunt pro ipso domino Episcopo  
D.D. Luchinus Bonifacius, & Percivallius Marchio-  
nes de Carrero.

MCCCXL. col. 291. n. 287. lin. 19. prædictæ, po-  
teriorum, cujus castri & lege prædictæ, & pode-  
riorum ejus castri, cujus castro est. lin. 63. post in-  
ferre adde molestiam.

Ad hoc documentum illustrandum apprime conducit,  
quod in notula scripturarum Episcopatus Aquensis le-  
gitur.

MCCCXL. Plurima instrumenta fidelitatis præstitæ  
a MM. Montisf. R. D. Guidoni (forte Ottoboni alias  
annus corrigendus) in diversis membranis. Credibile  
autem est hunc Ottobonum de omnibus pene Ecclesiæ  
sua feudis Montisferrati Marchiones investivisse; qui  
sensim sine sensu Ecclesiam postea omni jure, ac pri-  
vilegio spoliavit, quæ haud minima fuit paupertatis,  
atque inopiæ in sequioribus Episcopis causa.

MCCCXLIII. col. 293. n. 288. Exegi ad synchro-  
nam Capituli membranam, ex qua hæc pauca mutan-  
da esse cognovi. lin. 17. Jachello l. Sachello. 18. ju-  
risperitorum habet membrana satis perspicue, licet  
legendum sit jurisperitis. lin. 38. si quod l. scilicet  
quod. lin. 39. electo antecessores l. electo. . . . .  
antecessores. lin. 59. dele puncta intermedia.

Hoc documentum memoratur in posteriori charta  
MCCCLI. n. 301.

MCCCXLIII. col. 294. n. 290. Hæc decimarum  
Ulmi investitura haud intelligenda pro primigenia  
concessione. In Tabulario Episcopali invenire est  
aliam ab Alberto Episcopo Aquensi impertitam ante-  
cessoribus Petrini Rotundi de Roccaverano de decimis;  
Ulmi anno MCCLI. die XXVII. augusti scriptam ab  
Opicio Ferrario de monte Morixino Notario.

MCCCXLIII. col. 298. n. 292. In hoc docu-  
mento, sicuti & in præcedenti asserit Guido Epi-  
scopus se florenos MD. Astæ deposuisse. Huic assertioni  
fidem facit notula scripturarum, quæ olim in Tabu-  
lario Episcopi servabantur, in qua legitur: instru-  
mentum depositi facti per R. D. Guidonem Epi-  
scopum Aquensem in Ast de florenis MD. pro ca-  
stro, & loco Castellati Episcopi. Hoc vero depositum  
factum fuit die XXIV. oct. hujus anni, ut ex eadem  
notula, quæ sic habet: un' altra scrittura in carta pe-  
cora del MCCCXLIII. a' 24. ottobre fatta in Ast.

MCCCXLV. col. 307. n. 295. l. 59. de Cart cor-  
rige Scar. scilicet de Scarampis vii & sensus totius  
documenti, & exemplar Tabularii Episcopalis suadet;  
neque solum hoc loco, sed & in columna sequenti lin.  
17. lin. 28. lin. 54. Præter hanc correctionem adde  
lin. 7. offerente l. offerentem. lin. 50. post ibidem  
adde promisit.

MCCCLV. col. 317. n. 307. Hic Ecclesiarum cen-  
sus fuit postea anno MCCCXXXVII. a Vicario Ab-  
batis S. Petri de Bergolio recognitus, uti ex ejus charta  
a nobis illata in suppl. col. 518. n. 85. C. V. Chen-  
na pag. 188. hunc refert sub die I. januarii, cum  
fuerit factus die VII.